

Servabo, infelix quoniam tu linquis amantem;
 Oscula semper erunt, extrema huc oscula, Adonis.
 Ah fugis hinc Acheronta petens, regemque tremendum
 Inmitemque hominum votis: ego perdita vivo;
 Sum Dea, nec tecum mihi fas descendere in orcum.
 Accipe tu, nostra major cui parta potestas,
 Spousum diva meum Proserpinę: quidquid ubique
 Formosum est carumque ad te devolvitur unam.
 Ipsa queror, doleoque, & acerba saucia cura
 Nequidquam exstinctum ploro, te, magna, tremiscens.
 Sic moreris, mea cura? abeunt ceu somnia, abivit
 Noster amor. Cypris vidua est, orbantur Amores;
 Et Cestus periit. cur ali venatibus audax
 In nemora, & cæcos voluisti irrumperē saltus,
 Tam formosus & ipse feras tentare minaces?

Sic Dea plorabat; chorus una & plorat Amorum.
 Heu miseram, heu Cyprin; periit formosus Adonis.
 Mœsta Vepus tantum lacrymarum effudit, Adonis
 Sanguinis ipse gravi quantum de vulnere fudit:
 Et cruor & lacrymæ terra florescere visæ:
 Nata cruento rosa est, lacrymis nata est anemone.

Incipite o questus; periit formosus Adonis.
 Ne misera in sylvis jam plores, Cypri, maritum:
 Heic torus, heic thalamus bene cultus Adonidi; in iatis
 Ecce tuis recubat stratis exstinctus Adonis,
 O Venus: exstinctus licet heu lumina clausit,
 Est formosus adhuc ceu vinclitus membra sopore.
 Illum ipsis depone in vestibus, in quibus olim
 Tecum in nocte jacens assuevit carpere somnos
 Aurea strata super: sit quamvis tristis, amore
 Ne pigrat visu tristem Dea tristis Adoniu.
 Serra illum floresque inter depone; sed omnis